

Heinrich Rahn

**Vice-Decanus Collegii Iuridici In Universitate Rostochiensi Henricus Rahne, I.U.D.  
& Prof. ... Ad Disputationem Inauguralem, Quam ... habebit M. Fridericus  
Berlichius, Lipsiensis Ad diem VII. instantis mensis Iulii. Magnificum Dn.  
Rectorem omnes omnium Ordinum Cives Academicos, omnesq[ue] Literatos &  
Literatorum Fautores officiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766620131>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



59.  
VICE-DECANUS

COLLEGII JURIDICI

In Universitate Rostochiensis

HENRICUS RAHNE,

J. U. D. & Prof. suo & Domino-

rum Collegarum nomine,

AD DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

Quam  
De PRIVILEGIIS NOBILIIUM

habebit

M. FRIDERICUS BERLICHIIUS,

Lipsiensis

*Ad diem VII. instantis mensis Julii.*


Magnificum Dn. Rectorem

omnes omnium Ordinum Cives Aca-

demicos, omnesq; Literatos & Literato-

rum Fautores officiosè

invitat,



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LIII.



Ino vendibili suspensâ hederâ non est opus. Et proba merx facilè mercatorem reperit. Quo gemino nobis uti liceat proverbio, dum examinandum publice sistimus Virum egregium FRIDERICUM BERLICHIIUM, J. U. Candidatum. Hujus enim virtus non eget alienis præconiis; eruditio insignis nullis indiget insignibus. Appetit tamen illa, cum sciat, quod bonum peractum non sit involvendum silentio, neq; lucerna occultanda sit sub modio; quod honos alat artes; quod gloria & laus suapte natura gratæ sint & jucundæ, nec non ad utilitatem maxime valeant; quod deniq; nullo modo status possit esse firmus ac stabilis in civitate, in quâ nullus virtuti honos tribuatur. Ortum quidem nostro BERLICHIO dedit LIPSIÀ, Civitas, & ab Academia, & à mercatura, & ab ædificiis commendatissima. Verùm ipse putat summam patriæ laudem solam esse virtutem Civium. Si quis regerat: Felix tamen est patriâ notissimâ, de qua ille olim cecinit.



*Quid varias referam merces, quas congerit illis  
Albis, Arar, Rhenu, Themasis, Padus, Ister, Iberus,  
Nilus & Euphrates, & quem bibit India Ganges,  
Inq; novo, plures, quas reperit orbe Columbus*

*Et alius: LIPSIÀ se ostentans sublimibus aureatectis,  
Lumina dum saturat, mens perit ista fame.*

Tum suggerit ipsi vel innata modestia hoc responsum:  
Malo per me patriam, quam me propter patriam esse notum; & hanc potius à me, quam me ab illa felicem dici. Illud enim fortunæ, hoc meum esse ai bitror. Et nisi per me fulsero, quid mihi lux patriæ, præter tenebras allatura

50  
tura est? Habuit porrò noster Candidatus Patrem, Vi-  
rum famæ celebritate conspicuum & immortalem  
MATTHIAM BERLICHIIUM, quem non  
nostris modò, sed magni illius Jcti Hermanni Vultei  
verbis commendare placet. Hic autem Idibus Junii  
Anno supra millesimum decimo tertio ita ad Eum  
scripsit. *Exhibuerunt mihi tue meditationes ad forum accom-  
modata ingenium tuum præstans, & judicium accuratum, u-  
trumq; cum magna diligentia conjunctum, & quod de te coràm  
prædixi, jam omnibus palam ostendens, cum in illis tanta crudi-  
tionis præstantia, & judicii solertia appareat, ut aliorum scripta  
multis modis mihi superare videantur.* Quid quæso nobi-  
lius de verè nobili scribi dicivè potuisset. At filius, tanti  
patris haud degener à prima adolescentia didicit, pul-  
chrum esse non sanguine, sed virtute niti. Contrà mise-  
rum, aliorum incumbere famæ. Et recte quidem: nam  
quod optimum est, id nobilissimum. Nobile existima-  
to, inquit Veterum quispiam, non qui bonis & probis  
procreati sunt, sed qui bonitatem & probitatem profi-  
tentur: quia humana nobilitas in nulla aliare, quam in  
ipsa virtute posita est. Hæc siquidem bona confert, quæ  
nec hostis, nec tempus, nec naufragia, nec morbus, nec  
mors ipsa aufert. Cœtera vana sunt & caduca. Sene-  
scunt non modò familiæ, sed & urbes; mundus ipse ad  
interitum vergit. Qui antiquitate stirpis glorientur, si  
non cœcutiunt, suis vident oculis, quomodo vetustas  
gloriam exstinguat, quomodo radix ærescat, cujus flo-  
ribus se vel ornant, vel ornare volunt. Quicquid cum  
tempore oritur, cum tempore occidit: Origo omnium  
una est. Unus parens humani generis. Unus fons uni-  
versorum, qui vicissim modò turbidus, modò lucidus ad  
unumquemq; nostrum deducitur, eâ lege, ut, quod pau-  
lò ante clarum erat, mox fiat obscurum; & quod obscu-  
rum



rum, mox clarum. Et ita non de fonte dubitatur **M.** sed  
quibus alycolis splendidus hic sanguis ad nos profluxe-  
rit. Hinc est, ut qui hæri arabat, hodiè militet, & vel  
loco sit præstantissimo: qui ardentem caballum aureis  
regere frenis, & per medias urbes vehi singulari pompâ  
solitus, superbûsque incesserat, per squallentem campum  
pigros boves agresti stimulo sollicitè vel armenta humi-  
li pedo ad pascua agat, atque doceat verum esse illud Pla-  
tonium: Neminem regem non ex servis oriundum, &  
neminem servum non ex regibus. Hæc est rerum huma-  
narum vicissitudo, hæc perpetua inconstantia. Quin  
sæpe evenit, ut etiam infimo loco nati ad summam di-  
gnitatem consurgant, & generosissimæ profapæ fetus  
in dedecus devoluti, acceptam à majoribus lucem in te-  
nebras convertant. Unde inanis, si non insana, jure me-  
ritoque perhibetur ambitio, non suis, sed alienis niti me-  
ritis. Claritas quippe non nascendo, sed vivendo quaeritur.  
Sæpius alteri commodum virtus alterius attulit,  
at laudem nisi tuis tibi factis concilies, ab alio non ex-  
spectes. Intellexit hoc laudatissimus Rex Arragoniæ  
Alphonfus. Is enim cum mirum in modum extolleretur  
ab uno suorum Procerum, quod esset Regis filius,  
Regis frater, Regis nepos; Nihil, respondit, minori  
apud me loco est. Quandoquidem laus illa non mea est,  
sed majorum; à me itaque elicienda, si quæ erunt orna-  
menta. Hæc & ejus farinæ alia, nostro Candidato ab  
eximia natura infixæ, ipsum incitarunt, ut ab ineunte  
ætate studeret, cum famam optimi patris conservare &  
exornare, tum similem paternæ gloriam sibi acquirere.  
Ea propter bonis literis & artibus se dedit. Honestas  
occupationes prætulit inutiles turpique otio, Consilia &  
actiones retulit ad virtutem; ratus, quod eos, qui se in  
recta vivendi ratione exercent, magna merces maneat.  
Volupta-

50

Voluptates inhonestas, omnium vitiorum illecebras,  
non modò susq; deq; habuit, sed cane pejus & angue fu-  
git. Interim veràm non neglexit voluptatem. Quæ  
verò illa? Quæ cum virtute & ingenuis artibus conjun-  
cta est, à quibus si quis voluptatem demat, vim earum  
aufert, & potestatem supprimit. Nullum enim si volu-  
ptas absit, petitur honestum. Quippe qui laborem spon-  
te ex virtutis subit præscripto, amore voluptatis aut  
præsentis id facit, aut futuræ. Nam sicut in re quæstua-  
ria nemo sciens talentum cum drachma permutat, nec  
cum argento aurum, nisi qui fungum pro cerebro gerit;  
sed in permutatione, quamvis æqualis sit, permutantis  
spectatur commodum, prout usus flagitat accipientis.  
Sic omninò in subeundis nemo laboribus, laborum  
causà laborem subit (infelix enim hoc votum esset.)  
sed laborem cum voluptate commutat. Præter hæc  
quemadmodum in morbis membrorum non recusat  
æger secari, aut uri, sitim etiam perferre famemq;, &  
quicquid naturæ ingratum est, ut pro his postea vel sa-  
nitate, vel somno saltem leniori frui possit. Quod si  
verò spem futuri tollas boni, etiam præsentium tolles  
malorum patientiam: ita in actionibus nostris laboris  
cum voluptate vicissitudo intercedit & permutatio.  
Quam sive gaudium, sive pulchrum vocare lubet, non  
resistimus, quia diversa admittimus nomina, rem ean-  
dem videmus. Ejusmodi voluptati indulgere volupe  
semper fuit Dno. BERLICHIO. Eamq; haurire,  
ex sapientiæ studio sategit: in quo tantum profecit,  
ut jampridem præmium solidæ eruditionis, nomen  
scilicet gradumq; MAGISTRI in Academia  
patria cum laude sit adeptus. Non autem decus il-  
lud concupivit, & assumpsit, ut alios antecederet atq;  
superaret titulis, qui nostra ætate adeò sunt in præ-  
tio &


tio & affectatione, ut magis capitale fere existimetur;  
in sermone & congressu familiari eos omisisse, quam  
si maledicta & convitia congesseris: Sed ut testimonio  
adversus invidos & obrectatores suæ laudis publico  
muniretur. Sciebat enim virtutem omnibus rebus an-  
teire. Postquam verò in patria solida Philosophiæ  
fundamenta jecerat, posteaquam ibidem cum studio  
sapientiæ artem æqui & boni amabili nexu conjunxe-  
rat, & in utroq; tam publice, quam privatim specimina  
eximia, eaq; varia exhibuerat; venit ad hanc nostram  
Academiam, ibiq; quâ viâ cœperat, sedulo perrexit.  
Inprimis autem in addiscenda juris prudentia, tanquam  
cynosuram, secutus est methodum, quam præscripse-  
rat Agnatus, Vir Magnificus, & Consultissimus Dnus.  
BURCHARDUS BERLICHIIUS, Serenissimi  
Electoris Saxonici Consiliarius Aulicus, &c. cui noster  
Candidatus plurimum gratâ mente acceptum refert, &  
nos felicitatem diuturnam ac vitam longam precamur.  
Eoq; ipso ordine adeò feliciter usus est, ut se & alios  
cum in privatis tum publicis disputationibus atq; colle-  
gijs informare potuerit. Siquidem voluit rectè sape-  
re, & mederi vitijs hominum, quod Philosophiæ est:  
annis est, suum cuiq; tribuere, quod justitiæ est: ideoq;  
tam hujus quam illius auditoria gnave obivit, & in ijs  
nunc audiendi, nunc disputandi, nunc discendi nunc  
docendi amore cum alijs creberrimè certavit: ingenium  
& sedulitatem Præceptoribus, exemplum commilitio-  
nibus Matri, matronæ & viduæ spectatissimæ rationem  
impensarum abundè comprobavit. Ne toto isto, quod  
hic loci consumpsit, triennio minus, quam doctrina-  
rum studia, cordi ipsi fuit sincera in Deum pietas, reve-  
rentia erga præceptores, observantia superiorum & cum  
æqualib; concordia. Procul ille ab eorum recordia fuit.  
qui

30  
qui libertatem academicam vel inlicentiam vertunt, vel  
in socordiam. Ad blanda Syrenum delectamenta, & in  
luxum trahentia, nec ivit, nec abductus est, sed memor  
suis nominis semper se hominem frugi præstitit, & hoc  
ubiq; egit strenuus, ut aliquando patriæ, familiæ, & sibi  
usui esse posset atq; ornamento. Illud verò ut eò melius  
fieret, à nostro Collegio nuper petiit præmiũ suorum la-  
borum, ut commodius sibi viam sterneret ad officia, qui-  
bus dignum ipsum indicabunt omnes boni, rogavit nos  
testimonium. *Contendit sibi conferris in utroq; Jure & Cano-  
nico & Civili Doctoris titulum atq; dignitatem.* Id quod ne-  
mo ipsi vitio vertet, qui novit, quod vix inveniatur, qui  
laboribus susceptis periculisq; aditis non, quasi merce-  
dem rerum gestarum desideret gloriam, & quantum ad  
comparandam benevolentiam auctoritatemq; ignoto-  
rum faciant honestorum ordinum attestaciones. Ob  
illam ergo, quam jam diximus, causam admissus no-  
ster BERLICHIIUS ad nostrum privatos intra pa-  
rietes institutum colloquium, talem se præbuit, qua-  
lem decet virum summos in jure honores ambientem.  
Verum ut & cuius suos, quos hætenus fecit in arte æqui  
boniq; profectus, ostendat, ad diem VII. instantis mensis  
Julij conscendet cathedram, & de PRIVILEGIIS NO-  
BILIIUM disputabit. Privilegia quidem solent esse  
odiosa. Dicuntur enim ita, vel quia violant Legem ge-  
neralem, quæ unâ voce loquitur cum omnibus; vel quia  
sunt privatæ quasi Leges. *Unde omne Privilegium, in-  
quit FABRIUS, contra reliqua jura est: Viris fortibus  
non possunt premia persolvi, nisi cum alia inclinatione alicuius  
in legis.* Hinc L. XII. cautum fuit: *Privilegio ne irro-  
ganto: Hinc Magistratibus Rom. præscriptum: Præses  
in omnes omninò homines ex æquo jus habeto. Nullum pri-  
vilegium audito.* Hinc quoq; Cic. *vetant, ait, sacrata, Le-  
ges*

ges vetant LL. XII. Leges irrogari privati hominibus: id enim  
est Privilegium. Nihil est crudelius & perniciosius nihil, nihil,  
quod hac civitas minus ferre possit. Quia violat leges, dero-  
gat æquitati, quam inter Cives observari Reip. interest.  
Attamen ab æqvo non est planè alienum, viro forti, &  
qui vel consilijs, vel armis diu noctuq; pro salute Reip.  
laborat, concedere dignum suâ conditione fortunam.  
Fufius hoc explicabit Dnus. CANDIDATUS in-  
dicta sua Disputatione. Age igitur Magnifice Dne. RE-  
CTOR. Agite Omnium Ordinum Dni. Professores.  
Doctores, Licentiati, Verbi Divini Præcones, Magistri,  
Studiofi, & quotquot hîc vivitis Literatiac Literatorum  
Amatores, adeste stato & condicto die freqventes, ani-  
mum advertite sedulo; & vel auscultate, vel probate atq;  
dijudicate: ~~an~~ annon sit dignus privilegij Doctorum.  
BERLICHIIUS de privilegij Nobilium nobili conatu di-  
sputans, nobilis scientiæ nobilis sectator, nobilisq; ho-  
noris Candidatus. Quod si istam à nobis gratiam iniveri-  
tis, erit, de quo nobis gratulemur, erit, quod obser-  
vantia & officijs compensare studeamus, erit deniq;  
quod perire apud nos, aut evanescere nunquam patia-  
mur. Valet. P. P. Rostochi sub Sigillo Facultatis Ju-  
ridicæ die XXVI. Junij Anno Salyatoris  
c13 l3c LIII.















the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo cõ-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Græcorum  
 jactans, adjumeto intercessionũ, quas  
 tẽ impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniæ  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 pœnam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio fœminæ cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-  
 , pœnam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 u assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publicè jactaverat, quem postea  
 iudicæ Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata à *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personã sua pla-  
 en suum mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quæ notissimum est illud Plau-  
 ptã forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut è bello rever-  
 incubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4